

Remigiusz Sobański

De iure in Ecclesia animadversiones praeviae

Collectanea Theologica 53/Fasciculus specialis, 55-60

1983

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

REMIGIUSZ SOBANSKI, WARSZAWA

DE IURE IN ECCLESIA ANIMADVERSIONES PRAEIVIAE

1. Definitio iuris communiter acceptata deficit. Nonnulli auctores putant ius definiri non posse. Alii — et quidem plurimi — aliquam definitionem iuris construere intendunt, quo in effectum verus catalogus definitionum efficitur. Varietate definitionum congruentiae opinionum minime suffragatur, nihilominus homines sciunt, quid sit ius. Definire quidem non possunt, sed norunt ius semper ad relationes interpersonales pertinere et aliquid quod est alicui debitum tamquam suum significare. Homines sensu iuris moventur. Quae recta sint sentiendo aliquid iustum aut iniustum esse concludunt. Tunc de iure vel de iniuria sermo est.

2. In societatibus simplicibus prorsus facile constatari potest, quid alteri debitum sit. Longe difficilius res se habet in societatibus superius organisatis. Constatatio talis in hisce societatibus a potestate suscipitur, quae leges convenientes condit. Quod duobus elementis constat, rationali nempe et voluntativo. Primum consistit in comprehensione actualis conditionis socialis. Praecipue percipitur, quod a bono communi, quo iura officiaque societatis membrorumque eius determinantur, postuletur. A secundo elemento diagnosi deductae indoles obligatoria irrogatur, a qua vera realisatio boni communis cavetur et hoc modo in complexa conditione sociali unusquisque quod ei debetur obtinere potest.

3. Potestati legislativae — quae in unoquoque statu sui iuris exercetur — omnes homines obnoxii sunt et legibus a potestatem habentibus latis ligantur. Facile ergo intellectu, cur notio iuris ad fructus activitatis huius potestatis, scilicet ad leges conditas applicetur. Theoriae positivisticae — qualiscumque earum mutatio attenditur — ut ius exclusive leges a legislatore statali latas vel saltem recognitas agnoscunt. Unde sequitur, quod tunc qualitas iuridica ab aspectu formali dependat et legislator ut fons et auctor, immo creator, iuris aestimetur. Itaque in primo plano elementum volitivum in conspectum venit. Sed tamen negligere nequit legislatorem fontem iuris secundarium esse — ille enim ordinem iuridicum ex iuribus et officiis personae humanae profluentem agnoscit et de-
tegit. Ordo hic — similiter ac iura personarum, in quibus nititur —

praecedit activitatem legislatoris, qui eum recognoscit, notum facit et ab arbitrariis perturbationibus tuetur.

Praeponderatio, qua in doctrina fontes secundarii iuris — scilicet potestas legislativa — gaudent, potestati huic viam ad ius manipulandum aperit, quod potius quam medium iustitiae tuendae instrumentum dominationis fit. Unde leges ut ius denominari, sed nihilominus tamquam deformationem iuris se ostendere possunt. Recordari sufficit multae definitiones iuris quemlibet respectum ad iustitiam omittentes!

4. Doctrina iuris in foro ecclesiali propugnata conceptibus positivisticis minime favet. Categoria iuris naturalis et positivi iuris divini nexum iuris cum obiectivo ordine iuridico servare sinit, qui ab legislatore recognoscitur et iuxta principia aequitatis ut obligatorius declaratur. Promulgatio legum ad competentiam omnis potestatis, etiam ecclesialis, pertinet. Potestas ecclesialis hoc in casu methodis in actuali cultura iuridica elaboratis utitur (quod enucleandum est non tantum praesentia Ecclesiae in cultura et usu fructuum progressus socialis in servitio evangelizationis, sed praecipue persuasione omnem legitimam navitatem legislativam necessitudinem cum lege aeterna habere). Activitas legislativa ad historice conditionatam formam iuris ecclesialis ducit, quae consistit non tantum elementis essentialibus de identitate Ecclesiae decernentibus, sed etiam ex aedificatione decursu saeculorum orta. Isti largi rami, qui ex activitate legislativa effloruerunt efflorescuntque, similitudinem formae iuridicae Ecclesiae ad illam aliarum societatum, praecipue statuum, gignunt. Immo, ista ipsa elementa historica orta ex activitate legislativa eique submissa potissimum in figura iuridica Ecclesiae conspiciuntur et ab iuristis investigantur, qui nucleum iuridicum Populi Dei non penetrant. Proinde indoles iuridica naturae Ecclesiae reapse minime recognoscitur et consequenter investigationes iuridicae in Ecclesia periphericae manent et ab eius natura longe distant. Phaenomenon iuridicum ipsum in studio iuridico revera vix attingitur. Ius ecclesiale tunc iuxta protypum iuris civilis — scilicet statalis — enucleatur et in quantum limitibus talis modelli non comprehendatur extra orbitam investigationis manet.

5. Investigatio iuris ecclesialis ad modum protypi iuris civilis et defectus iuridicae explanationis naturae Ecclesiae ad hoc ducit, ut vita iuridica Ecclesiae cum notionibus philosophicis colligetur iisdemque ad Ecclesia applicatis explanetur. Primo in loco agitur de notionibus societatis et institutionis: „ius in Ecclesia, quia societas est“, „uti societas Ecclesia structuram iuridicam habet“, „aspectus institutionalis id est iuridicus Ecclesiae“. Ius tunc tamquam consecrarium indolis socialis vel institutionalis Ecclesiae praesentatur. Non ex natura Ecclesiae deducitur, sed ex ad eam

translatis notionibus philosophicis. Attamen ordo logicus non talis, sed contrarius est. Notione societatis (vel institutionis) uti potest ad structuras iuridicas Ecclesiae exprimendas, haud vero ad indolem eius iuridicam probandam.

6. Fundamenta iuris Ecclesiae quaerenda sunt in nova conditione sociali, in qua invenitur homo, qui fidem confessus est et in baptisate renatus. Homo iste se repperit in communionem cum Deo, interim tempore et spatio limitata, quae signum est futurae, hominibus promissae. Ecclesia enim signum est et initium communionis, quae consummabitur „quando cum genere humano universus quoque mundus (...) perfecte in Christo instaurabitur" (*Lumen gentium* 48). Donec plenitudo haec non eveniat, communitio nobis non solum donum, sed simulque mandatum est. Veritate et caritate in vita Trinitatis participantes ad testificandam veritatem et ad proximam caritatis vocati sumus. Participatione vitae divinae statuti sumus coram hominibus cum obligatione veritatis et caritatis. Quod nobis datum, simul mandatum est, sed et quod mandatum, iam datum est. Dono et mandato nostra conditio socialis determinatur. Eorum, qui communionem iam acceperunt, est eam aedificare et hoc videlicet quia ea iam praediti sunt. Munus communionis Dei cum hominibus aedificandae actualisandaeque ex solo facto assecutae novae in communionem existentiae emergit. Admissio ad participationem vitae Trinitatis et orta inde conditio socialis ipsa per se indolem iuridicam continet. Realisationem et actualisationem cum postulet de iuribus obligationibusque communionis omniumque membrorum eius statuit. In hac conditione sociali fundamenta et fons totius iuris ecclesialis videmus.

7. Quaestio poni possit de formali aspectu novae conditionis socialis, in qua fundamenta iuris Ecclesiae aperimus: unde eius indoles obligatoria et qua de causa eam uti iuridicam denotamus? Respondendum est: indole iuridica gaudet, quia ipsa obligatoria conditio interpersonalis est. Fons huius vis ligantis in Deo sese in veritate ac caritate tribuente invenitur. Deus ipse conditionem hanc efficit, homini communionem secum offert et in relationem novam ad alios homines inducit. Conditio haec auctoritate Dei se revelantis et tribuentis nititur. Patet ergo vim obligatoriam iuris Ecclesiae ultimatim profluere ex Auctoritate, quae sese ipsa hominibus dat et dona sua largitur et omnes ad communionem participationemque propriae eius vitae vocat. Inde indoles specifica ac unica iuris quod in Eo initium capit. Hac de causa in investigatione iuris ecclesialis aspectus formales minoris momenti videntur, potius — ut dicam — substantia iuris ipsaque eius vita advertenda est. Quid valet et quid significat eventum iuridicum in Ecclesia?

8. Communionem datam mandatamque christifideles fide, spe, caritateque aedificant. Tria haec munus Ecclesiae cuiusvisque fi-

delis constituunt. Mundo ex parte Ecclesiae debentur, item hominibus ex parte uniuscuiusque fidelis. Relate ad Ecclesiam omnesque fideles mundus ius habet ad testimonium fidei, spei et caritatis. Quae ergo obiectum iustitiae constituunt — sine fide, sine caritate christifidelis non est iustus. Cum fidem non profitetur, non tradit quod ad tradendum accepit et proximo denegat id, ad quod iste erga christianum utpote iam donis elargitum atque ad testimonium vocatum ius habet. Idem potissimum dicendum est de caritate. Praxis caritatis non ad libitum manet, sed est mandatum officiumque fundamentale christiani. Defectus caritatis atrophiam vitae christianae significat. Sine caritate christianus iustus esse non potest. Quodvis dubium hac in re abest (Mt 22, 35—40). In christianitate caritas omnibus ex iustitia debetur. Proprie hoc decernitur momentum characteristicum iustitiae christianae: caritas immanens iustitiae. Ex negligentia istius facti dichotomia oritur: Ecclesiae caritatis Ecclesia iuris opponitur. In visione iuridica Ecclesiae tunc eius vita socialis iuxta protypa profana interpretatur, in quibus caritas non uti elementum fundamentale, essenziale, de identitate servanda decisivum et ideo stricte obligatorium, sed quasi laudanda supraedificatio intelligitur.

9. Thesis de caritate ut obligatione iuridica in Ecclesia nos ad quaestionem de mutua relatione caritatem inter et ius ducit: potestne caritas praecipui? Caritas praecipiat opus non est, iam enim absolute praecepta est. Praeceptum hoc studiosis interpretationibus debilitari neque variis manipulationibus e sphaera iuridica expelli nequit. E contrario, hoc fundamentale praeceptum magni et ultimi est momenti, quo lineamenta ipseque conceptus iuris ecclesialis decernuntur. Caritas aptas et sibi convenientes formas iuridicas producit, ideoque non sunt transferendae in forum ecclesiale illae formae iuridicae, quae cum caritate nil efficere possunt aut prorsus cum ea nullo modo convenire queunt. Non omnes conceptus iuridici cum principiis (ut fides, caritas) vitae Ecclesiae congruunt, tamen in campo iuridico facile inveniri possunt notiones et conceptus apti ad ordinem iuridicum Ecclesiae tamquam ordinem caritatis formandum. Sufficit mentionem facere de integranti functione iuris, de iure uti factore participationis, de diaconia tamquam principio relationum interpersonalium. Cum in investigatione studium in eo quod ecclesialis vita iuridica continet et in valoribus iustitiae immanentibus (scilicet in fide, caritate) ponitur, possibilitates et potentiae iure inhaerentes sed non semper satis prospectae apparent. Minimalistica visio iustitiae ad tramitem exempli profani aestimatae vi stimulativa caret. Si tamen caritate penetratur et elucidatur, potentiae ad societatem integrandam habiles in actum ducuntur, e.g. formando estructuras participationi sociali faventes, regulando relationes interpersonales tamquam ordinem diaconiae, aperiendo canales activitatis.

10. Si fides, spes, caritasque ordinem iuridicum constituunt, tota navitas iuridica in Ecclesia modis fidei christianae praedicandae adnumeranda est. Analogia inter activitatem legislativam et proclamationem veritatum fidei facile conspicitur. Veritas fidei existit non quia qua talis definita est, sed definitur quia (ex sese) veritas est. Legislatione fides secundum praxim ecclesiam traditur. Similiter ac Magisterium non modo dogmata fidei proclamat, sed ea pro rerum temporumque adiunctis evolvit, ita legislatione ecclesiali ius divinum in forma conditionibus vigentibus adaptata et in praxi sociali applicabili promulgatur.

Hunc in scopum methodi iuridicae ex actuali cultura haustae utuntur. Una ex parte earum aptitudine in foro ecclesiali prae oculis habita sedulo et caute seligendae sunt, altera tamen ob rationes pastorales actuali culturae iuridicae convenient oportet. Exaedificatio quae methodis iuridicis adhibitis continue in Ecclesia perficitur, revera nihil aliud est — esse debet — quam conformatio fidei christianae hic in mundo: est et esse debet modus significandi categoriis officiorum et iurium ordinis interpersonalis, in quo „vita Christi in credentes diffunditur“ (*Lumen genitum* 7). Quae significatio fit, ut Ecclesia, signum salutis, in dies ut vera communio roboretur.

11. Ex nexu cum fide propaganda consequentiae vim ligantem legum Ecclesiae spectantes oriuntur. Una ex parte auctoritas legis ecclesialis crescit, altera autem relativisatur: firmatur auctoritate fidei, ideoque autem mechanismati fidei subicitur, etiam libertati, qua actus fidei ornatur. Activitas legislativa semper futura respicit. Sed communio, quae aedificanda est, aedificari potest modo cum iam data sit et existat. In iure ecclesiali ergo agitur de communione iam existenti aedificanda roborandaque — ut futura in praesenti manifestentur. Unde sequitur aedificationem communionis eius existentiam et acceptance[m] praesumere. Hac de ratione navitas legislatoris in Ecclesia fructus fert tantum tunc, cum lex accepta est. Legislatoris, qui ipse pastoris munus fungitur, multum refert, ne lex in tabulis inclusa maneat, sed effectus sociales producat. Unde problema acceptance[m] legis in Ecclesia. Ultimis temporibus rite etiam conceptus legis ecclesialis disceptatur et differentia inter canones Ecclesiae et leges civiles demonstratur. Revera lex in Ecclesia hominem appellat et hoc „ad gregem in veritate et sanctitate aedificandum“ (*Lumen genitum* 27)¹. Legislator ecclesialis auctoritate fidei adminiculatur, sed hac de ratione per-

¹ Cum Gabriel Le Bras parvum numerum dominantium et paschantium (i.e. obligationes fidelibus iure canonico impositas adimplentium) detegisset et pastoribus verum situm pastorem aperuisset, animatio curae pastoralis consecuta est. Pastores summo studio enixeque fideles ad officia religiosa implenda incitabant. Quod lege praecipitur, consiliis, suasionibus assequi conati sunt.

suasum sibi habet activitatem eius tunc tantum fructus prolaturam, cum conscientiam fidelium formaverit et voluntatem eorum incitando spiritum communionis animaverit.

12. Mentio adhuc de habitudine iuris ecclesialis ad ius civile facienda est. Ius ecclesiale a canonistis haud rare prismate iuris civilis spectatur. Ius Ecclesiae verum ius licet civili analogicum esse demonstratur. Canonistis multum interest, ut iuristis annumerentur et qualitas iuridica iuris Ecclesiae agnoscatur. Et quidem recte. Animadverti tamen licet aspectum aptum et germanum ad habitudinem iuris canonici ad ius civile elucidandam in conscientia propria iuris ecclesialis inveniri. Canonista sibi persuasum habet obiectum eius studii verum ius esse — non propter similitudinem vel analogiam ad alia entia legalia nec propter convenientiam cum aliqua praesupposita notione iuris. Dimensionem nempe iuridicam Ecclesiae repperit non per comparisonem cum aliqua alia societate legali, sed per contemplationem mysterii Ecclesiae, sese in fontes Revelationis mergendo. Primo in loco canonista sibi conscius est partem essentialem iuris Ecclesiae ius divinum efformare. Quod fide accipit et accepto certe scit illud verissimum genuinumque ius esse. Quod contemplando notionem propriam iuris elaborat, authenticam et — ut apparebit — fertilem.

Magni interest non ut qualitas iuridica, conceptibus theoreticis conveniens, iuris divini demonstretur, sed ut mundo visio iuris ex fontibus Revelationis cognita ostendatur. Haud dubitat canonista eum hic profundissimum sensum veramque atque propriam significationem notionis iuris invenire. Ius ecclesiale non restringi ad ius divinum neque cum eo identificari patet. Ecclesia credit se iure divino ligatam esse. Ius hoc Ecclesiae ope in mundo radicari debet. Ecclesia existit pro mundo, similiter et ius eius fungitur, ut in mundo idea iuris in praxi nationum verificetur. Idea non abstracta nec excogitata, sed cognita et ad realisandum recepta unacum nova conditione sociali in historia salutis. Ecclesiae officium est proprias structuras ad mentem donatae et susceptae unitatis efformare atque mundo vocationem hominum ad unitatem uti principium totius vitae socialis et iuridicae patefacere. Ipsa forsan optimum implementum sui officii contendens generi humano verissimum sensum iuris proferre debet: unitatem, integrationem hominum. Canonistis ergo est prodesse ad animum iuristarum integran- tibus et unionem hominum protegentibus potentiis perspectivisque iuris adiciendum. Munus hoc implendo efficacem coniunctionem cum cultura iuridica probabunt et ad fructiferum ministerium familiae gentium praebendum conferrent.